



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis
Dissertationes**

Conring, Hermann

Helmestadii, 1674

Svpplementvm LXXIII. Ad pag. CXLV.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

cautum, nec proinde similia cum peregrinantibus pericula fuerunt metuenda. Non porrò ad omnis doctrinæ sed solos Legum Professores & Studiosos Authentica hæc spectat. Id quod non est quod miremur ; quandoquidem isthac tempestate non tantum non Bononiæ, sed nec alibi per universas imperii terras aliud quoddam doctrinæ genus in Scholis doceretur : secus quam Parisiis & in Britannia obtinebat.

Quod forum attinet, de solorum Scholarium litibus aliquid sub finem Authenticæ est constitutum : nec videtur trahendum hoc etiam ad Professores. Disertè enim solis Scholaribus data est fori optio : nec Professorum aliquis habuit magistrum coram quo potuerit conveniri. Vero simile mihi est, Professorum causas ad forum Ecclesiasticum ordinarium tunc pertinuisse, quandoquidem jam tunc temporis Professores clericorum fuerunt ordini accensiti. Quæ res deinde in quam multis locis plurimum mutavit.

SUPPLEMENTVM LXXII.

Ad pag. cxliv.

DE permissa optione Legum, iam tum seculo nono in Italiam introducta, diximus latius *l. de Origine Juris Germanici cap. 20 pag. 107.*

SUPPLEMENTVM LXXIII.

Ad pag. cxlv.

VT liqueat optionem fori etiam olim alias fuisse in usu, adferemus hoc loco doctissimi & Juris quoque prudentissimi scriptoris Jacobi Gothofredi Dionysii F. verba quadam ex illo elegantissimo commentariolo, quem seorsim ad Leg. Si Barsatoram 13 Cod. de Fidejussorib. conscripsit. Optioni, inquit, præventionig, locus olim esse quandoque poterat, sive in transmittendis reis à municipali magistratu, ut *h. l.*, sive in vindicandis ab uno diligentiore è pluribus judicibus competentibus, sive etiam

etiam in eligendo judice à litigatore ut l.r. Cod. de off. Recr. prov. & t. 36. C. Theod. de appell. Pariter ut simili alternativæ seu optio- ni in Ecclesiasticis quoque negotiis quandoque locus fuit: referendi inquam de Fide, agendique vel apud Metropolitanum Provinciæ aut Exarchum diœcœsos; ut vel ex solemani Hieronymi ep. 6 i discimus, & ex canone 9 & 17 Concilij Chalcedonensis. Hæc Gothofre- dus. Est autem optio fori etiam hodie frequentissimi usus: quandocunque scilicet causa aliqua non est astricta uni foro ordinario sed ad multa fora pro libitu partium potest deferri.

SUPPLEMENTVM LXXIV.

Ad pag. CXLVII.

IN Dissertatione vocem Authenticæ *Dominum* accepimus de domino loci sive civili magistratu. Jam tum autem in Addendis pag. 194 annotavimus, haud vero absimile videri, *Dominum* hēc significare *magistrum*. Et verò Italis ea tem- pestate, quā constitutio illa Friderici Imperatoris prodiit, nār' ἐξοχῇ Scholaribus audiisse *Domini* voce *magistrum*, li- quet non ex iis duntaxat quæ in addendis attulimus sed er- iam ex plurimis aliis, atque adeo & ex Ottonis Murænæ illa narratione, quam adduximus Supplemento quinquagesimo primo.

Notandum præterea, non dici in Authenticâ *Magistros*, sed *Magistrum*; nec fieri mentionem Scholæ Rectoris. Utrum- que autem arbitror factum, quia tunc temporis nondum obtinebant collegia Professorum aut *Magistrorum*, sed sin- guli docebant & agebant res suas. Id quod Parisiis quo- que eo tempore factum, jam Dissertatione quarta docui- mus: nec obscure indicatur etiam illâ Murænæ narratione de Bononiensibus primis doctoribus. Non ergo isthac tem- pestate etiam Rector aliquis fuit Universitatis. Proindeque videtur Authenticæ accipienda de uno aliquo magistro sive

Aaa doctore